

Elegia
Spectabili ac Generoso
Domino
Antonio Wittmann

de Dengláz,
Serenissimi Caes. Reg. Principis
Archiducis Caroli
Universorum Dominiorum
Supremo Regenti,

at Collegio Scholasticorum Bonorum Mazarinianorum Orientis

Ad Diem Nominis

oblata:

• 8 • 9

Fosonii,
typis Heredum Belnayanorum.



Festa dies, quam sospes agis, Celeberrime Wittmann!
Concitat in lactos Barbita nostra sonos.

Piericos, hilaresque modos, et candida Vota
Prolicit e nostris cordibus haecce dies.

Nam si summa Tu a m permulcent gaudia Stirpem,
Prospera quod redeat lux hodierna Tibi;

Si fert vota Cliens, si Curia praestat honores,
Si Larium pretas Te cupit incolunam:

Cur noster sileat? cur obmutescat Apollo?

Cur paveat tenuem stringere Musa chelym?

An, quia sponte fugis meritarum encomia landum?

Nec cupis ornari plausibus aethereis?

O Wittmann! Quamvis Tibi blanda Modestia vultum
Muniat, Aeta tamen Te super astra ferunt.

Gloria, laus, et honos fugientem sponte sequuntur,
~~Et subiecti validis Atria clausa seris.~~

Sol splendore suo nubes dispellit opacas,
Attenuat tenebras Luna nitore suo.

Aurea percellunt oculos de culmine Vasa,
Sole tepens Adamas spargit ubique iubar.

Scilicet illa Viris sublimibus insita dos est,
Illa manent gnavoris praemia certa Viros:

Ut niteant Factis totum complentibus Orbem,
Et propriis Meritis Nomina clara ferant.

Cur etenim rutilos colimus post funera Manes
Sive tuos Newton, Linnee sive tuos?

Cur hodieque viget priscorum fama Virorum?
Quam quia mirifico parta labore fuit.

Iure igitur, Wittmann! decorant Tu a Nomina Fastos,
Iure sonant laetis Barbita nostra modis.

Nam quae solliciti Tibi sunt collata Regentis
Munia, mox fausti causa stuporis erant.

Undique summa Tuae resonant paeonia Famae,
Undique Factorum clara tropaea micant.

Quae facies rerum hie fuerit, quae Ruris imago
Antea, vix quemquam tota latere potest.

Adveniant nunc quaeso Viri longinqua colentes
Oppida, queis Patria est Mosoniense solum.

Adveniant, stipeantque novam, quam nostra subivit
Terra vicem sola Mentis et Artis ope.

Non illi hic steriles Campos, non Prata revisent
Torrida, nonque Agnas asperiore pilo.

Ruribus e nostris credent Lombardica Regna,
Et paradisiacum prosiluisse Nemus.

Invenient Bardats, Wittmannshof, Rus Casimir
Ac Hegyeshalmensis Praedia culta Palis.

Thessalicos cernent Lucos, undasque rigantes,
Et Cataractarum frena, Sinusque novas.

Conspicent Ovium pretiosi velleris agmen,
Conspicent cumulos Graminis arte sati.

Mirabuntur Opus rara regione videndum,
Peisonis tumidae quo removentur aquae.

Ipsa Ceres, et fausta Palēs narrabit eisdem,
Esse sibi positas Martis in arce Scholas.

Quaerent, quis fuerit tanti moliminis Auctor?
Quisve Regens hodie Munia summa gerat?

Undique mox Echo, Wittmann resonabit in auras,
Wittmann Ille Vir est, quem manet hocce decus.

Sic est, Chare Regens! Laus haec Tibi competit uni,
Totus honor Tuus est, gloria tota Tua.

Nam licet egregii Tibi sint, gnaveque Ministri,
Qui Tu a perficiant iussa, vicesque Tuas:

Omne tamen, quod fervet Opus, quae grandia prostant
Facta, sagax peperit Meus, Studiumque Tuum.

Belliducis nomen; non turmae fertur ad astra,
Si iaceant hostes, signaque rapti gemant.

Non operas, nec rutrigeros, sed in arte Magistrum
Indicat eximio structa labore Domus.

Palma fuit quondam Columellae, Virgilioque
Tradita, nunc Wittmann! haec Tibi laeta viret.

Georgica iam taceant, praeceptaque Bucolicorum,
Sufficit e Scriptis haec didicisse Tu is.

Iure igitur Tibi Nobilium sunt Signa tributa,
Iure datum Dengláz, iure et Equestris honos.

O Alberte! Pium Sidus Regumque, Ducumque!
Sit Tibi post cineres mollis, et alma quies.

Iudicio recte sapienti Stalla Regentis
Gnavo contuleras, intrepidoque Viro.

Huius enim exemplum faciet non tempore longo
Induat ut yuttum Pannonis ora novum;

Quamque manu larga finxit Natura beatam,
Ditior evadet sedulitatis ope.

Nos quoque Pieridum Socios sentire Vir Idem
Dulce patrocinium, praesidiumque sinit.

Wittmann Fautor erat, consurgat ut ima Palaestra,
Et stabili subeat Dote Magister eam.

Wittmann non cessat nostros relevare Penates
Munere, quod tribuit Gratia celsa Ducis.

Esto igitur, Supreme Regens! Columenque Decusque
Nostrum; esto Generis gloria summa Tui.

Vive diu felix, ac terque quaterque beatus!
Ut Tua multiplex basiet ora Nepos.

Suscipe corde bono, quae grato pectore Vota
Fundimus, et reverent Te que, Genusque Tuum.

Emericus Faklits,
e Scholis Piis.